



Prot. N. 00237/2025-1478/24/I

## DECRETUM

*PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis a Rev.do P. Petro Celso Tramontin, Superiore Generali Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, cuius praecipua sedes in Urbe exstat, in quadringentesimo et quinquagesimo conversionis anniversario Sancti Camilli de Lellis, qui ipsum Ordinem condidit, de immensa Dei misericordia caelestibusque Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a Familia Charismatica Camilliana, eiusdem Ordinis sodalibus et omnibus christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis a die II Februarii usque ad diem VIII Decembris MMXXV lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint si, sociato corde cum spiritalibus finibus Iubilaei Ordinarii anni MMXXV, Sanctae Mariae Magdalenae ecclesiam de Urbe vel quodlibet iubilare templum praefatae Familiae ubicumque spectans necnon ut in supplicibus litteris iam determinatum, in forma peregrinationis inviserint et iubilare functionibus devote interfuerint, vel saltem coram Sancti Fundatoris exuviis per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis atque Sancti Camilli de Lellis.*

*Senes, infirmi necnon eos curantes omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilare celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.*

*Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut Patres ex Ordine Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant.*

*Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.*

*Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die II mensis Februarii, anno Domini MMXXV.*

*Angelus card. de Donatis  
Paenitentiarum Major*

*+ Christophorus Josephus Nytriel  
Episcopus tit. Velicensis, Capens*